



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

XII. Vtrùm necesse sit obiecta per fide[m] credenda proponi priùs per
Ecclesiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

diff. 9. dub. 6. num. 91. assensum circa rem reuelatam tunc inniti reuelatione, quæ de facto est evidens credenti, non tamen ea inniti, quatenus evidens est, siue ita ut ipsa evidentiæ ingrediatur rationem obiecti formalis, quia iam assensus fidei non esset certior illa evidentiæ, & consequenter non esset vera fides diuina, quæ omnem naturalem evidentiæ debet superare. Sed evidentiæ illa habet se solum per modum proponētis obiectum, sicut definitio Ecclesiæ, aut lectio Scripturæ sacræ. Scio enim euidenter hoc ibi contineri, quando Euangelium mihi lego, & scio etiam euidenter orbem totum consentire, quod id à Christo sit traditum, saltem evidentiæ morali; & tamen fides mea non nititur illa, evidentiæ, sed immediatè reuelatione Dei.

Hæc tamen responsio, & doctrina difficilis est & ad obiectiōis solutionem nullo modo necessaria, difficilis quidem, quia ex ea heret, nullam conclusionem esse euidentem, quamuis ex principiis euidenter cognitis deducatur: nūquam enim evidentiæ est motuum formale obiectum, cum evidentiæ non sit prædicatum ex parte obiecti, sed ex parte actus cognoscentis clarè obiectum; actus autem non sunt obiectum motuum, sed applicant, & repræsentant obiectum præmissarum; quod quia clarè proponunt præmissæ euidenter, eo præcisè inferunt conclusionem euidenter, quia faciunt clarè apparere eius obiectum in obiecto præmissarum clarè propositio. Si ergo reuelatio Dei, cui nititur assensus rei reuelatæ, clarè proponit reuelationem, non potest non influere euidentiam in obiectum reuelatum; cum ad hoc non sit necessarium moueri ab ipsa evidentiæ reflexe cognita. Vnde constat ratio à priori, quia cum obiectitas sit negatio claritatis, non potest obiectum credi conclusio, nisi quando eius obiectum non apparet clarè in se, neque in alio. Eo autem ipso, quod præmissarum obiectum, & eius connexio cum obiecto præmissarum apparet clarè, & euidenter, iam in ipsis apparet clarè obiectum conclusionis, cum hæc sit effectus formalis illius evidentiæ præmissarum & bonitatis illuminationis, ergo non potest obiectum conclusionis credi obiectum.

Nec exempla adducta quidquam probant: distinguendum enim est inter obiectum, & inter evidentiæ, quæ obiectum cognoscitur. Et quidem obiectum illud, quod est principium, cui innititur conclusio, quodcumque illud sit, & siue obiectum, siue clarè cognoscatur, debet semper æquè vel magis credi, quam ipsa evidentiæ, vel claritas formalis, quæ principia cognoscuntur, nam evidentiæ, vel claritas non cognoscitur, sicut nec ipsa præmissæ formalis, cum qua identificatur. Quando ergo reuelatio priuata euidenter cognoscitur, non posset quidem magis credi res reuelata quam reuelatio; posset tamen intellectus firmius credere rem reuelatam, quam credat se habuisse evidentiæ de reuelatione, quia evidentiæ, seu cognitio euidentis de reuelatione non est principium obiectum, vel obiectum formale, propter quod credatur res reuelata. Non est autem absurdum, quod non magis credatur reuelatio, quam reuelationem euidenter cognosci: quia, ut supra indicauimus agentes de assensu circa veritatem Dei, & infra agentes de certitudine fidei dicemus, assensus fidei debet esse firmior omni assensu euidenti, à quo ipse non pendet tanquam à præmissa: secus si ab eo dependeat ut

Card. de Lugo de virtute fidei diuina.

à præmissa: tunc enim præmissæ etiam illa debet esse firmior omni alio assensu euidenti; & hoc ex imperio voluntatis, ut possit deferuire ad assensum fidei firmissimum: de hoc tamen infra dicendum est. Hinc ad exempla illa facile responderetur, euidentiam physicam, quæ cognosco & lego talem propositionem contineri in libro Euangelij, & evidentiæ etiam morali, quæ video, hoc recipi à tota Ecclesia, non esse principium obiectum, cui innititur fides articuli. Continentia autem ipsa huius articuli in Euangelio, & consensus Ecclesiæ, quem video, si ipsa se habent ex parte principij obiectiui, & complent, vel integrant reuelationem mediatam Dei, propter quam formaliter ego credo iuxta supra dicta, devent utique à me credi æquè, vel magis quam res reuelata, ut possim firmiter assentiri rei reuelatæ, sicut ob eandem rationem debeo veracitatem Dei mihi euidenter notam firmius credere, quam alia obiecta euidentia, ut in præ diximus loco citato. Secus verò dicendum, si continentia illa, quam lego in libro Euangelij, vel consensus Euangelij, non compleat, vel integret reuelationem mediatam Dei, propter quam credo.

SECTIO XII.

Utrum necesse sit obiecta per fidem credenda proponi prius per Ecclesiam.

Puncto præcedenti annexa est hæc difficultas, an scilicet possint credi per fidem christianam obiecta nostræ fidei, antequam per Ecclesiam, vel eius nomine alicui proponantur.

Suppono primò, non prærequiri ad credendum audire res fidei ab Ecclesia, ut habente antecedenter auctoritatem infallibilem in proponendo ex assistentia Spiritus sancti, & cognoscere in Ecclesia hanc auctoritatem propter assistentiam Spiritus sancti ita eam gubernantis, ut nunquam possit proponere aliquid falsum: probatur facile, quia hoc ipsum creditur fide diuina, quæ docet in Ecclesia esse huiusmodi auctoritatem, ergo ante ipsius fidei assensum non potest requiri cognitio huius infallibilis auctoritatis: & experientia docet, non omnes pueros, vel adultos, qui de nouo ad fidem accedunt concipere in Ecclesia hanc infallibilem auctoritatem, & assistentiam Spiritus sancti, antequam vllum alium articulum credant. Credunt etenim articulos eo ordine, quo proponuntur; hunc autem articulum auctoritatis Ecclesiæ contingit credi, postquam alios plures crediderunt. Solum ergo potest ad summum prærequiri cognoscere res fidei proponi ab Ecclesia, concipiendo in Ecclesia secundum se auctoritatem maximam, humanam, quæ reperitur in vniuersa fidelium Congregatione, quod à fortiori constabit infra ex prima Conclusionem:

Dices, si ab Ecclesia præscindamus auctoritatem infallibilem diuinam; manebit solum in ea auctoritas fallibilis, ergo meritò possumus cogitare, quod aliquando fallitur, & per consequens formidare ne in propositione etiam huius articuli decipiarur, ergo ut consideratur cum hac sola auctoritate, non potest mouere ad certam fidem. Respondetur, licet non sit euidentis, auctoritatem Ecclesiæ secundum se esse infallibilem, esse tamen

F euidentis,

247

Obiecta per fidem credenda an debeant proponi prius per Ecclesiam.

248

Non prærequiritur ad credendum concipere in Ecclesia infallibilem auctoritatem, & assistentiam Spiritus sancti.

248

euidens, auctoritatem illam talem esse tantis motiuis vestitam, vt prudenter possim hic & nunc velle assentiri sine formidine propter auctoritatem Dei, rebus ab Ecclesia propositis. Sicut etiam licet auctoritas Parochi non sit infallibilis, euidens tamen est, posse rusticum hic & nunc velle prudenter Deo credere sine formidine, ea quæ à Parocho proponuntur.

249

Virgebis adhuc, ergo, sicut de auctoritate parochi possum simpliciter dicere esse fallibilem, sic etiam de auctoritate humana quam habet Ecclesia.

Respondeo negando consequentiam, quia auctoritas Parochi solum reddit obiectum euidenter credibile rustico idiotæ, qui propter incapacitatem potest prudenter velle cohibere formidinem, si quam habet de auctoritate Parochi, non verò homini docto, qui prudenter potest dubitare de deceptione illius Parochi. At verò propositio Ecclesiæ tot tantisque argumentis, & motiuis instructa talis est, vt licet non reddat euidenter obiectum; euidens tamen sit etiam hominem doctum posse prudenter cohibere formidinem, si quam posset habere de deceptione Ecclesiæ: quare licet habeat motiua contraria, quæ ex se possent saltem imprudenter generare formidinem, & actum quo diceret: *Forsthan Ecclesia decipitur, vel potest in hoc decipi.* Cæterum motiua credibilitatis sufficiunt euidenter ad hoc quod voluntas prudentissimè cohibeat illam formidinem: quare licet appareat quasi radicaliter fallibilitas Ecclesiæ, quatenus (vt dixi) apparent motiua, cum quibus imprudenter posset dicere, Ecclesiæ posse falli, non tamen apparet fallibilitas Ecclesiæ formaliter, quia voluntas propter motiua contraria prudenter cohibet illud iudicium; & imperat assensum certum, quo dicas: Ecclesia nec fallitur in hoc, nec hic & nunc falli potest.

250

Non hic agitur de propositione immediata Ecclesiæ, sed de mediata.

Suppono secundò, non esse questionem, an requiratur propositio immediata ipsius Ecclesiæ facta singulis fidelibus: huiusmodi enim propositio raro contingit casu, quo omnes prælati in aliquo Concilio Congregati, vel ipse Pontifex immediatè alicum doceret: quæstio ergo solum procedit de propositione Ecclesiæ mediata, quæ communis est: omnes enim regulariter audiunt mysteria fidei à doctore, vel prædicatore proponente ea nomine Ecclesiæ, & vt res, quæ ab Ecclesia traduntur. Querimus ergo, an ad prudenter credendum requiratur, quod obiectum proponatur nomine Ecclesiæ saltem mediatè; an verò possit credi, licet ille, qui audit, nullo modo concipiat eam esse Ecclesiæ doctrinam, neque eius auctoritatem præcognoscat.

Aliqui negant, posse credi sine Ecclesiæ propositione Dur. in 3. dist. 25. quest. 3. Mich. de Medina lib. 5. de rella in Deum fide, & alij. Pro qua sententia videtur facere Augustinus contra epistolam fundamenti cap. 3. vbi habet illud vulgare dictum: *Non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ commoueret, & infirmata Catholicorum auctoritate Evangelio credere non potero.*

251

Ecclesiæ propositio non est conditio ex natura rei requisita ad credendum, sed sufficit interdictum propositio hominis priuati.

Dico tamen primò, Ecclesiæ propositionem non esse conditionem ex natura rei requisitam ad credendum, sed sufficere interdum propositionem hominis priuati proponentis obiectum cum debitis circumstantiis, vt reddatur prudenter credibile: Hæc est communis inter Recentiores, & supponitur à Valentia quest. 1. punct. 1. §. 6. vbi propositionem Ecclesiæ solum postulat secundum

dum legem ordinariam, & non ex natura rei. Eandem supponit Suarez in presenti disp. 3. sect. 10. numero 8. & clarius Canus; Vega; Turrianus, & alij, quos affert, & sequitur Hurtado disp. 14. sect. 10. & videtur sequi ex sect. præcedenti, quia si reuelatio priuata potest credi firmiter abique propositione Ecclesiæ, à fortiori reuelatio publica poterit credi, si sufficientibus motiuis proponatur.

Probatur Conclusio primò, quia in primis in lege naturæ plures credet àt ex sola doctrina parentum sine alia Ecclesiæ propositione: deinde in lege scripta plures crediderunt Moysi, & alijs Prophetis, antequam eorum prophetia ab Ecclesia reciperetur, & proponeretur; quia scilicet vix sanctitate, & rerum convenientia, & alijs de causis obiectum reddebatur prudenter credibile, præsertim cum viderent aliqua, ex quibus quæ Prophetæ prædicebant, quotidie impleri, quod notauit Rupertus in prologo in Oseam, & Hieronymus. *Isaia cap. 37. & Amos 7.* dum docent Prophetas fidem populi conciliasse ex certo rerum euentu, quia non solum Christi aduentum post longum tempus futurum, sed etiam alia, quæ statim completerentur, prædicebant. Denique in lege Evangelica act. 3. & 4. B. Petrus miraculo facto testatur est, se illud fecisse in nomine Christi, cuius virtutem prædicabat, & nulla facta mentione auctoritatis Ecclesiæ. vel suæ conuenit quinque milia hominum: qui sine prudenter moti sunt, licet non conciperent Ecclesiæ auctoritatem.

Secundò à priori probatur: quia Ecclesiæ auctoritas solum desideratur vt motiuium expellens prudenter formidinem ad credendum: potest autem hoc motiuium sufficienter compensari per miracula, vel alia motiua, quæ interueniant in prædicatione alicuius, ergo licet audiens non recorderetur auctoritatis Ecclesiæ, neque illam cognouerit, poterit prudenter credere.

Dico tamen secundò regulariter, & iuxta communem modum, semper interuenire debere aliquid Ecclesiæ Propositionem. Hanc intendit August. vbi supra & S. Thom. infra q. 5. art. 3. dum ait, *Obiectum fidei esse primam veritatem, quatenus continetur in doctrina Ecclesiæ.* Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus Hierosolym. Ambros. Augustinus adducti à Valentia vbi supra, qui late probat hanc assertionem. Potest autem breuiter ostendi ex supradictis, quia qui immediatè proponunt fidei obiecta, non proponunt ea, vt sibi immediatè reuelata, sed vt accepta ab Ecclesia, & vt ex mente illius magnæ communitatis: alioquin si solum, quis proponeret per propriam auctoritatem, sicut priuatus doctor non faceret tantam fidem, indigeretque maioribus longè motiuis, quàm nunc, quia nunc solum testatur, se ab ecclesia accepisse hanc doctrinam; ergo vt de facto obiectum fidei reddatur communiter prudenter credibile, necesse est, quod audiatur à proponente vt testante Ecclesiæ auctoritatem, à qua illud accepit. Nec obstat, aliquos rudiores non ita explicitè concipere Ecclesiæ auctoritatem; quia saltem in confuso concipiunt doctrinam illam non esse ex mente, & inuentione parentis, vel parochi, sed acceptam ab aliqua auctoritate superiori, & vniuersaliori, à qua mediatè dimanat, cum qua confusione omnes etiam rudissimi concipiunt communiter Ecclesiæ.

Obiectis

Obiicit tamen primò, quia hoc quod est, doctrinam istam tradi ab Ecclesia, testatur iste immediatus magister per priuatam auctoritatem, quam habet; ergo sicut ista priuata auctoritas sufficit, vt audiens moueatur ad credendum hanc esse Ecclesie doctrinam; sic etiam eadem priuata auctoritas sufficeret ad credendum hoc obiectum fuisse olim reuelatum, licet nec implicite conciperet ibi auctoritatem Ecclesie id docentis. Respondetur, negando consequentiam: non sufficit æqualiter priuata auctoritas ad omnia persuadenda: sufficit quidem ad persuadendum se hoc ab Ecclesia accepisse, quia hoc potest ipse certo scire, & testari; non tamen sufficit ad persuadendum olim fuisse hoc obiectum reuelatum cum ipse reuelationem non habuerit, nisi asserat hoc accepisse ab aliquo dignissimo teste, qualis est Ecclesia, à qua testatur se illud accepisse.

Secundò obiicit contra primam conclusionem; si non requiritur ex natura rei Ecclesie propositio ad credendum, ergo hæreticus, qui negat vnum articulum, vel Ecclesie auctoritatem, potest adhuc per fidem alia credere: potest enim adhuc seclusa Ecclesie auctoritate habere alia motiua, quæ sufficienter illa reddant credibilia. Respondetur, illum, qui sufficienter cognoscit auctoritatem, quam Ecclesia habet, vt sit regula in rebus fidei, & tamen eam cõtemnit, non posse prudenter alium articulum credere; quia deberet prius prudenter inquirere an recipiatur vel recipiatur ab Ecclesia ille articulus; quod tamen hæreticus non inquirat. An vero ille, qui ignorat auctoritatem Ecclesie, possit adhuc credere vnum articulum, pro cuius credibilitate habet euidentia motiua, & dissentiri alteri, pro cuius etiam credibilitatem habet alia euidentia motiua diuersa, est grauis difficultas, quam ex professo tractaturi sumus suo loco disp. 17. vbi videbimus, an possit manere fides aliorum in eo qui negat vnum articulum. Nunc sufficiat aduertere, fidem quoad hoc se habere instar charitatis, quæ non potest diligere perfectè Deum circa vnum obiectum, quin virtualiter velit implere omnia præcepta. Sic etiam fides non potest credere Deo in vno articulo, quin implicite credat quidquid sufficienter constituit dictum esse à Deo. Rationem autem à priori reddere conabimur dicto loco.

Tertio Obiicit: ille, qui ignorat Ecclesie auctoritatem proponentis res fidei, vel ignorat aliquid proponi ab Ecclesia, non est hæreticus, licet alicui articulo dissentiat; hæresis enim est pertinacia contra Ecclesie doctrinam, & tamen ille potest habere motiua cum euidentia sufficienti ad credendum, ergo potest esse infidelis, si non credat, & per consequens poterit amittere fidem sine hæresi. Respondetur, concedendo totum: fides enim, non solum hæresi, sed quolibet peccato proprio infidelitatis deperditur iuxta Tridentinum sess. 6. cap. 15. de quo aliàs dicendum erit dicta disput. 17.

SECTIO XIII.

Inferitur ex dictis differentia inter habitum fidei, & habitum Theologiæ: vbi de distinctione fidei à prudentia infusa.

Ex dictis circa obiectum formale fidei resolui potest questio illa, an & quomodo ex parte Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuina.

obiecti formalis differant actus fidei, & conclusiones Theologiæ, sub quo tamè titulo claritatis gratia multas quæstiones distinguere possumus prima quomodo fides, & Theologia differant ex parte obiecti. Secunda, An habitus fidei concurrat vel solus, vel simul cum aliis ad assensum conclusionis Theologiæ, an verò detur aliis habitus distinctus Theologiæ. Tertia, Qualis sit hic habitus, an supernaturalis, vel naturalis, an simplex, vel multiplex. Quarta, An habitus Theologiæ distingui debeat ab habitu prudentiæ infusæ. Quæ omnia seorsum examinanda nunc sunt.

Prima ergo questio proposita de obiecto formali Theologiæ, & eius differentia ab obiecto fidei, diuidi rursus potest in alias. Prima est, an conclusio deducta ex vna propositione de fide, & alia euidenter nota ex principiis naturæ sit actus fidei, vel Theologiæ. Secunda, quid dicendum de conclusione deducta ex duabus præmissis de fide. Tertia, quid dicendum de conclusione particulari deducta ex præmissa vniuersali de fide v.g. *Omnes posteri Adæ in ipso peccauerunt; Petrus est vnus illis, ergo Petrus in Adam peccauit.*

§. I.

De conclusione deducta ex vna de Fide, & altera euidenti naturali.

Quod attinet ad primum dubium, multi dicunt, conclusionem illam esse de fide: ita Cano lib. 6. de locis cap. ult. ad 10. Vega lib. 9. in Trid. cap. 39. Vasquez 1. parte disp. 5. cap. 3. & eam videntur supponere, qui Theologiam non distinguunt à fide infusæ, vt Sotus in 3. disp. 35. Ocham in prologo q. 3. principali litera. G. & alij, vnde, licet hæc propositio, *Christus est risibilis*, non sit immediatè reuelata, est tamen mediata quatenus est reuelatum, quod sit homo, & ad fidei assensum sufficit virtualis reuelatio: neque enim minus repugnat infallibili veritati Dei esse falsum id, quod est necessariò connexum cum obiecto expresse reuelato, quam esse falsum id, quod immediatè reuelatur, cum vtrumque derogaret veritati diuinæ, & in vtroque casu Deus falsitatis argueretur.

Alij communiter negant, illam conclusionem esse de fide, ita Gregorius, Maior, Gabr. Capreolus, Caiet. & alij, quos affert, & sequitur Suarez disp. 3. sect. 11. n. 3. Valentia & Corduba, quos affert idem Suarez n. 7. Molina 1. parte quest. 1. art. 2. disp. 1. & 2. & latè Petrus Hurtado disp. 12. sect. 1. quibus fauet S. Thomas 1. parte quest. 1. art. 1. & super Boëtium de Trinit. q. 2. art. 2. ad 4. & in prologo sententiarum art. 3. quæstione prima.

Suppono primò, non esse sermonem de conclusione, cuius obiectum contineatur formaliter, quamuis confusè in præmissa reuelata, qualis esset, *Christus est animal rationale*, quæ conclusio continetur in illa reuelata, *Christus est homo*, formaliter quidem, sed minùs clarè. Item in eadem propositione *Christus est homo*, continetur formaliter hæc, *Christus habet animam rationalem*. De his enim postea dicemus: nunc autem solum loquimur de conclusione, cuius obiectum non continetur formaliter in obiecto præmissæ reuelatæ; qualis est operatio humana, quæ non continetur formaliter in humanitate reuelata

F 2 sed

258

An conclusio deducta ex vna de fide, & altera euidenti naturali, sit actus fidei?

259

Non hic agitur de conclusione cuius obiectum continetur formaliter in præmissa reuelata, sed tantum virtualiter.